

dinem in significatione vocum. Ratio posita ad hoc non videtur valere: quia significare non sequitur intelligere necessaria consequentia: sicut effectus necessariam causam: quia aliquid potest intelligi prius alio tempore, & natura: nec tamen tunc significari: non enim neesse est ut intelligens vocem imponat ei, quod intelligit, sed adhuc est ad placitum; ut imponat, vel non. Sed ista propositio, significare sequitur intelligere: intelligenda est, ut illud, sine quo non: quia non potest aliquid significari; nisi intelligatur, sed nec sequitur necessario, nec quoad consummum ordinem in intelligendo, & significando.

Sed quomodo debeat vox poni analogica apud Logicum tertius modus videtur probatissimus: quia aliter non videtur differentia inter primum modum æquiuocationis, & secundum: nam si vel utroque vox significaret plura æque primo: vel si in secundo modo significaret tantum illud, cui conuenit proprie: tunc ille modus non videtur esse æquiuocationis: quia illa vox esset simpliciter vniuoca: quia tantum unum significans.

Sed qualiter cunq; sit de modo ponendi Analogiam: nullus istorum modorum videtur conuenire enti respectu decem Prædicamentorum. Quod non primus: probant omnes rationes ad oppositum. Similiter non videtur ista habere ordinem in participando ens: quia de quolibet prædicatur in quid per se primo modo, & immediate. Secundus modus non est possibilis apud Logicum. Tertius modus non est in proposito: quia hoc nomen ens non videtur transferri à Substantia ad Accidens propter aliquam similitudinem Accidentis ad Substantiam: cum de utroque prædicetur in quid, per Arist. 4. Metaph. & ita de neutro improprie. Similiter Accidentia prius sunt in sensu, quam substantia: igitur, & in intellectu: igitur possibile est eis imponi nomen significans ipsa, non per habitudinem ad substantiam: et si Accidens significaretur per hoc nomine, ens, ut attributum substantiae: igitur significaretur sub propria ratione: quia ratio attributi est propria ratio Accidentis: igitur simpliciter est ens æquiuocum Substantie, & Accidenti: quia utrumque significat sub propriatione.

Propter hoc dicendum, quod hoc nomine, ens, simpliciter est æquiuocum primo mo-

do æquiuocationis ad hanc decem genera prima: præcipue propter hoc ultimum: quia certum est Substantiam significari sub propriatione, & Accidens alio modo: quia si sub ratione propria significatur Accidens, per hoc nomen ens, hoc esset sibi proprium. Si sub ratione, qua attribuitur substantiae, vel sub aliqua alia consimili, illa est propria ratio Accidentis; adhuc sequitur, utrumque significare sub propriatione.

Intelligendum tamen est, quod vox apud Logicum simpliciter æquiuoca est: quia, scilicet, æque primo importat multa, apud autem Metaphysicum, vel Naturalem, qui non considerant vocem in significando, sed ea, quae significantur; secundum id, quod sunt, est Analogia, propter illud, quod ea, quae significantur; licet in quantum significantur, non habeant ordinem: tamen in quantum existunt, habent ordinem inter se: ideo ens à Metaphysico in 4. Metaph. & 7. ponitur Analogum ad Substantiam, & Accidens: quia scilicet, hanc, quae significantur, in essendo habent ordinem: sed apud Logicum est simpliciter æquiuocum: quia in quantum significantur per vocem, æque primo significantur.

Ad primum argumentum principale dico, quod circa ens non est contradictione, nisi facta distinctione: vel supponendo ens accipi in affirmativa, & negativa, procedem: & hoc modo est contradictione in æquiuocis: quia tunc sumuntur, ut vniuersaliter: quia tantum pro uno significato.

Ad secundum dico, quod quantum est de vis sermonis, non contrahitur ens per aliquid additum; nisi æquiuocum possit contrahi: tamen per aliquid additum potest fieri, vel esse contractio quoad videntes, ut referant intellectus ad idem: sicut nomina propria contrahuntur per cognomina superaddita quoad vsum loquètiū, non quoad significatione vocis in se.

Ad tertium nego omnem consequentiam abente ad aliquid, & è converso: nisi prius facta distinctione, & sumpto ente pro illo significato: & tunc non est proprie consequentia: substantia, igitur ens, sed illatio eiusdem ex se.

Ad probationem consequentie dico, quod antecedens, quod est simplex, potest esse verum sine consequente multiplici: nisi consequens sumatur in uno sensu: quia ipsum, ut multiplex, nec est

verum

Tex. com.
2.
Tex. com.
14. & 15.

verum, nec falsum; sed distinguendum.

Ad quartum dico, quod hanc est multiplex: substantia est nihil: sicut hanc: substantia est non ens: & est vera in aliquo sensu: quia substantia est nulla qualitas, vel non qualitas: quia aliquid, cuius negationem importat nihil, non videtur esse communius quam ens: cum exponatur aliquid: id est aliquares, & res non est communius ente.

Ad quintum patet: quia prædicari in quid de substantia, & quantitate, inest entis sumptus æquiuoce. nec sequitur, prædicatum ita esse idem, sicut modus prædicandi: ut sepe dictum est: quia ad unam scientiam speciei modi prædicandi sufficit vniuersitas proportionis, in his, quibus inest talis nodus.

Ad sextum dico, quod possibile æquiuoce est nomen primæ intentionis, sive impositionis, & secundæ: primo modo significat potentiam, vel ordinem ad actum; & dividit ens; & est æquiuocum: sicut actus in diversis generibus: secundo modo significat modum compositionis: & isto modo non est æquiuocum: & non est minus commune ente, quod dividitur in decem Prædicamenta: & est vniuersaliter: sicut cetera intentionalia. Hoc modo procedunt probationes de consequentia, & contradictione. Hanc distinctionem potentiarum potest haberi quinto Metaphys. cap. de potentia.

Ad septimum dico, quod diuisio incipit a sic uno, quali modo vnius est diuisio: diuisio autem entis in decem genera, est diuisio vnius non generis, sed vocis in significationes: & ideo incipit sic ab uno, scilicet, una voce.

Ad octauum dico, quod omnis multitudo reducitur ad unum, quod nihil sit illius multitudinis: sicut multitudo primæ causa, & causatorum, non reducitur ad aliquid unum extra illam multitudinem: quia sic se queretur, aliquid esse prius primo, sed tota illa multitudo reducitur ad unum, quod est aliquid illius multitudinis, cui alia attribuuntur; ut ad primam causam: ita in proposito multitudo Substantie, & Accidentis reducitur ad unam substantiem, non autem alterius, quod sit extra hanc multitudinem.

Ad aliud de septimo Physicorum dico, quod Aristot. intelligit ibi de comparatione, quæ est secundum aliquam natu-

ram participatam ab utroque extremo secundum magis, & minus: quia magis, & minus, non faciunt æquiuocationem, sed talis comparatio non est secundum ens, sed comparatio, quæ est secundum ordinem aliorum ad intuicem: est enim Accidens minus ens Substantia: id est in essendo habet ordinem ad Substantiam: & hanc comparatio non requirit vnuocationem.

Ad aliud argumentum de subiecto Metaphysice dico, quod ad unam scientiam sufficit vniuersitas Analogie in subiecto: ut determinatur quarto Metaphys. scilicet, quod omnia, quibus conuenit subiectum scientiarum, habent per se attributionem ad unum primum in essendo, & cognoscendo. Cum ostenditur subiectum esse necessarium vniuersum, dico: quod omnes illæ auctoritates, & probationes, procedunt de subiecto demonstrationis: quod autem subiectum scientiarum est Analogum, de illo, secundum se non sunt demonstrationes, sed de primo, ad quod omnia alia attribuuntur: quia ad determinandum de multis Analogatis sufficit determinare de primo, ad quod omnia alia attribuuntur: ut dicitur in principio septimi Metaphys. nec est inconveniens de subiecto scientiarum secundum se nullam passionem ostendit, quando est Analogum, si tamen passiones ostendantur de primo, ad quod alia attribuuntur.

Ad aliud dico, quod Aristot. ratio inuit, verum esse vniuersum in Principijs sempiternorum, & ipsis sempiternis: & cœderat, quod verum, quod consequitur entitatē rei in se, sit vniuersum omnibus substantijs, & ens esse vniuersum illis: sed ex hoc non sequitur ens esse vniuersum decem generibus: quia omnes substantiae sunt in uno genere.

Ad illud autem, quod accipitur in argumento: quod omnia sint causa, vel causata: & illis ens est vniuersum: ergo omnibus. Dico: quod causa, & causatum: vniuersale, & particolare: & multæ huiusmodi differentiæ, non tantum consequuntur ens secundum rationem eius communem, sed in particulari: ut in eodem genere, vel in eadem specie, sicut in generatione vniuersa, causa, & causatum sunt eiusdem speciei. Vnde ad formam argumenti dico, quod dicitur de causa, & causato, est vniuersum: verum est, quando sunt omnes generis, non autem de omni causa,

S. &

& causato: quia non est de substantia, & accidente.

Ad aliud dico, quod Principia cognoscimus; in quantum terminos cognoscimus: ut dicitur primo Posteriorum: & ideo illud Principium potest esse notissimum, cuius veritas est notissima cognitis terminis. Vnde certitudini Principij non repugnat multiplicitas terminorum: nec est aliquid certius habens terminos non multiples: quia aliud non est ita manifestum cognitis terminis.

Ad aliud concedi potest maior: quia primum obiectum intellectus potest vnioco actu intelligendi intelligi: quod non contingit de æquiuoco: quia in æquiuoco nullus conceptus est idem; sed sola vox. Ad minorem dico: quod primum obiectum intellectus est substantia: quia vt dicit Aristot. in principio septimi Metaphysic. substantia est primum omnium entium cognitione: quod non intelligitur de prioritate temporis, sed natura: scilicet, quod cognitio eius est perfectissima. Ad auctoritatem Averenæ potest concedi vera sic; quod accipit ens pro vno significatio, quod est primum: scilicet, substantia. Vel dicitur forte: quod duplex est ratio, à qua hoc nomen substantia imponitur: scilicet, subsistendi, & substundi: ens autem imponitur ab actu essendi: sed actus essendi videtur ratio simplicior, quam actus substundi: & ideo ens primum occurrit intellectui, quoad rationem, à qua est nominis impositio: quia est simplicissima: sed quoad essentiam significatam substantia intelligitur, quando ens primo intelligitur. Hoc patet in alijs nominibus synonymis: quia illam essentiam eandem significant: ramen imponuntur à diversa ratione: sicut lapis, & petra: & quando intelligitur essentia significata per vnum, intelligitur essentia significata per aliud: quia eadem est; sed non oportet ea co-intelligi quantum ad rationes, à quibus est impositio nominum.

Ad aliud: qui dicit ens non dicit substantiam, nec Accidens: si illud est vereum; tantum intelligitur, quantum ad rationes, à quibus nomina imponuntur: non autem quoad essentias significatas. Ad aliud dico, quod illa ratio, à quam

Text. com.
4.

ponitur ens, non est vna; sed æquiuoca in diuersis: sicut, & ens.

Contra: ratio entis non est eadem ratione substantiaz per prius dicta: neque ratione, à qua imponitur nomen Accidentis; sed simplicior vtraque: igitur cū in vtraque includatur, vtraque habet illum cum illo addito: ergo illud est commune vtrique.

Dici potest: quod ratio essendi est sim- plior ratione substundi; & æquiuocè sumpta est simplicior ratione acciden- di: & ita æquiuocè sumpta conuenit vni, & alteri: & ita potest esse æquiuocum illis: licet neutri sit omnino idem; sed simplicius vtroque: quia non est vniuo- cè sumptum simplicius vtroque.

Contra responsonem datam ad ar- gumentum ante penultimum: scilicet, de obiecto intellectus: arguitur sic. Ni- hil cognoscitur ab aliqua virtute, nisi quod participat rationem primi ob- jecti illius virtutis: si igitur substantia sit primum obiectum intellectus: cum Accidens non sit substantia; non per se in- telligeretur: quod est manifeste falsum: quia Accidens est per se sensibile: igitur intelligibile. Major patet: quia nihil per se videtur, nisi coloratum, vel lux nihil per se auditur nisi sonus: & sic de ceteris.

Potest dici, quod non oportet omne per se cognoscibile ab aliqua virtute suscipere prædicationem primi ob- jecti illius virtutis in recto: sed sufficit, quod habeat per se habitudinem, in quantum cognoscitur, ad primum obiectum illius virtutis: sensibilia enim communi- na per Aristot. secundo de Anima, sunt per se sensibilia ab omnibus, vel pluri- bus sensibus: nec tamen proprium obie- cturn alicuius sensus prædicitur de eis in recto: quia numerus, & figura, non est color, vel sonus. Sed ideo per se sentiuntur: quia habent per se habitudinem, & attributionem; in quantum cognos- cuntur; ad propria sensibilia: quia faciunt diuersitatem in modo sentiendi, & immutandi sensus à sensibili proprio: sic Accidentia; in quantum cognoscuntur ab intellectu; habent per se attribu- tionem ad Substantiam: licet non sint substantiae: ideo stat: quod per se intelliguntur.

(?.) Ad aliud dico, quod illa ratio, à quam

Text. com.
6. 3. inde

Sum-

ARTIC. I.

An ens sit vniuocum enti reali, & rationis?

VIA omnia Prædicamenta tripliciter comparari possunt: primo ad ali- quod commune, in quo conueniant æquiuocè, vel Analogicè; icili- cet, ad ens: vel, quodlibet Prædicamentum ad sua inferiora, de quibus vniuocè dicitur: vel tan- dem potest vnum Prædicamentum ad aliud cō- parari, quatenus scilicet, vnum quodammodo aliud denominat: antequam igitur iuxta hanc triplicem Prædicamentorum comparationem Doctor cum Aristotele de æquiuocis, vniuocis, & Denominatiis, differat: interrogat primo: an ens sit decem Prædicamenta vniuocum? Par- tem affirmatiuam quindecim argumentis per- suadere nititur: & quia communitas entis respec- tu Prædicamentorum, aut debet esse vniuoca, aut æquiuoca, aut saltu Analogica. Triplicem statuit conclusionem.

Dicens primo. Ens non est vniuocum decem Prædicamentis: hanc probat auctoritatibus, & rationibus, quæ habentur ibi: ad opposi- tum est Porphyrius.

Secundò dicit: quod ens non est Analogum ad decem Prædicamenta: hæc habetur, & probatur ibi: Sed qualitercumque sit de modo po- nendi Analogiam.

Tertio tandem ait: quod hoc nomen, ens, simpliciter est æquiuocum primo modo æqui- uocationis ad hæc decem genera prima: hanc probat à sufficiente disiunctione. Et ultra: quia apud Logicum vox non est Analogia: sed simpliciter vniuoca, aut æquiuoca: & cum ex prima conclu- sione, ens non sit vniuocum; erit simpliciter æquiuocum decem Prædicamentis.

Denique soluit argumenta, quæ vniuoca- tionem entis probare videbantur: quorum solu- tiones Logice procedunt in aliquibus: in alijs autem Metaphysicè: sed tam in multis istarum, quam illarum, secundum aliorum opiniones pro- cedit: ad suum enim intentum sufficiebat argu- menta soluere; né probare viderentur ens esse vniuocum Logice decem Prædicamentis.

Cæterum: quia hæc quæstio difficultissima est, & à Doctore multis in locis agitata: imo quod magis est, in ipsa sibi contrariari videtur: nam in his Logicalibus: vt patet hic, & quæst. 6. Vniver- ad quartum, & quæst. secunda Anteprædicam. & in Elench. quæst. 15. & primo Physicorum quæst. 7. & quarto Metaphy. quæst. 1. tenet: ens est æquiuocum Substantie & Accidentis: ac de- cem Prædicamentis. In primo vero sententiistarum dist. 3. quæst. prima & secunda, & dist. 3. octaua quæst. secunda vniuocum esse affirmat: ideo

hanc quæstionem ad longum per non- nullos Articulos explanare neces- sit: ut doctrina Docto- ris eluceat.

Sed ad hanc solutionem respondeo: quod non est simile de animali: quia si aliquis concep- tus genericus dividatur; inter membra dividenter est dare medium per abstractionem; id est potest abstrahit aliquis conceptus cōmunitatis: sed de ente trācēdētissime capto nō est sic: quia super ens reale, & rationis, non datur iste conceptus: quia non datur conceptus in mūdo, quin sit vel prae-

opus

VIA ens nominaliter sumptum di- pliciter accipitur, transcendenter, vt est commune ad omne ens reale; & transcendentissime, vt de ente reali, & rationis, dicitur: ideo de hac communi- tate transcendentissima inquirimus in praesenti: an sit vniuoca; vel æquiuoca; & quid de ea sen- serit noster Doctor. In qua re est prima sententia Nicolai Boneti primo Metaph. cap. 6. afferentis ens esse vniuocum enti reali, & rationis: probatur primo auctoritate Doct. qui in primo Reportationum dist. 29. quæst. 2. & quæst. 3. quodlibet hoc videtur affirmare: igitur, &c.

Secundò, intellectus potest esse certus de a- liquo, quod sit ens, & dubitare an sit reale, vel rationis: ergo ille conceptus, de quo est certus in- tellectus, est vniuocus.

Tertiò, primum principium dicitur æquali- ter de ente reali, & de ente rationis: ergo suum subiectum debet esse vniuocum.

Secunda sententia, & opposita, videtur esse Doct. supra quæst. 2. §. cōtra hoc ultimum, potest argui sic: & in primo sent. dist. 29. in probatione primæ conclusionis, quam sequitur; multi eius discipuli, quos respexit Bargus ibidem: licet iste dicat Doctorem in hoc Problematicum fuisse: sed quidquid sit de hoc: dicendum. Ens transcen- dentissime sumptum est æquiuocum enti reali, & rationis: probatur haec vniuocatio fundamentali: si ens, vt sic, diceret conceptum vniuocum; vel ille esset seculo operis intellectus; vel non: si primum: ergo aliquid, quod esset, seculo ope- re intellectus, & reale, & includeretur quidditatue in illo, quod est ens rationis: si secundum: ergo quod est ens rationis, quidditatue includeretur in ente reali: quod duo implicant: nam quod ens rationis sit quidditatue ens realis: vel quod ens realis sit quidditatue ens rationis, implicat- da: i conceptum vniuocum enti reali, & rationis: sed talis solus est æquiuocus in primo æquiuocati- onis gradu.

Ad hanc rationem, quam desumpsit Author formalitatum ex nostro Francisco de Marchia, respondet Bonetus: conceptum illum commu- nem nec esse realem, nec rationis: sed abstrahere ab vtroque, & esse vtrumque permittiue: sicut conceptus animalis nec est rationalis, nec irra- tionalis; sed abstrahit ab vtroque; et si que vtrumque permittiue.

Sed ad hanc solutionem respondeo: quod non est simile de animali: quia si aliquis concep- tus genericus dividatur; inter membra dividenter est dare medium per abstractionem; id est potest abstrahit aliquis conceptus cōmunitatis: sed de ente trācēdētissime capto nō est sic: quia super ens reale, & rationis, non datur iste conceptus: quia non datur conceptus in mūdo, quin sit vel prae-

opus

Conclus.